

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 128. Alia Congregatio de unionis negotio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

movendæ hujus unionis media, eaque Sæcul. XV.  
magis opportuna inquirerent; eos vero, A.C. 1414.  
qui contrariam tuerentur sententiam, eo  
ipso schisma nutrire, fore convictos. Qui-  
bus subjunxit, Concilii Constantiensis au-  
toritatem nullatenus a Pisano depen-  
dere, nec opus esse, ut illud ab isto con-  
firmaretur. Scriptus est libellus iste præ-  
vio quorumdam Gallorum Præsulum  
consensu, quibus clandestina Joannis Pa-  
pæ molimina ad dissolvendum Concilium  
excogitata, optime perspecta erant.  
Tertius denique libellus nil nisi meram  
complectebatur Satyram, in qua mores,  
ac Joannis vita tacite carpebantur, seu  
potius erat schema omnium boni Ponti-  
ficiis obligationum, eo artificio exposita-  
rum, ut legentes facile intelligerent, Joan-  
nis XXIII. vitam moresque illis e diamet-  
tro oppositos esse.

### §. CXXVIII.

#### *Alia Congregatio de unionis negotio.*

Mense Decembri ad medium vergente a-  
lia adhuc habebatur Congregatio, *Vander Hardt tom. 2 p. 193.*  
in qua idem unionis negotium iterum a-  
gitari cœpit. Cum vero plurimum Cardi-  
nalium sententia eo abiret, ut juxta Pi-  
sani Concilii mentem in Petrum de Luna  
& Angelum Corarium ibidem legitime  
exauktoratos ulterius legibus procedere-  
tur;

Sæcul. XV. tur, Cardinalis Cameracensis alium pro-  
A.C. 1414. duxit libellum, ut hanc viam summis pe-  
 ricolis obnoxiam, nulloque modo ineun-  
 dam ostenderet. Idem auctor fuit, ut  
 potius utrumque Antipapam ad volunta-  
 riā cessionem pro bono pacis ample-  
 ctendam inclinare, ac tandem uniu-  
 que honorificum in Ecclesia officium,  
 quo quivis eorum contentus esse pos-  
 set, conferre satagerent. Dissolvebat si-  
 mul, quæ contra hanc viam moveri  
 possent, difficiliora, demonstrans, in e-  
 jusmodi pacta citra iniquitatis aut simo-  
 niæ notam cum Viris, qui tanquam schis-  
 matici denunciati essent, conveniri, eis-  
 que pro actu cessionis munera offerri  
 posse, quin exinde Pisano derogaretur  
 Concilio. Insuper suum Imperatori jus  
 afferuit, vi cuius hic præprimis schis-  
 matis tempore Concilium cogere valeret, ex  
 eo, quod esset Ecclesiæ defensor: inde  
 vero intulit, impræsentiarum non agi de  
 approbanda Pisana Synodo, sed ut au-  
 direntur utriusque Competitoris Orato-  
 res, & Principum iis addictorum legati;  
 nec via facti procedendum esse, donec  
 amicabilis compositio frustraneo prorsus  
 successu tentata, atque ipsi de contuma-  
 cia convicti essent.

§. CXXIX.